



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cvrsvs Theologici ...**

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et  
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -  
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum  
Scholasticis habent connexionem, declarantur

**Carleton, Thomas Compton**

**Leodii, 1659**

Dispvatio XII. De Ente supernaturali.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13718**


# DISPUTATIO DVODECIMA.

## De Ente supernaturali.

**A**D plenam questionis precedente Disputatione discussa intelligentiam, Darine scilicet possit creatura, quæ naturaliter videre possit Deum, subnectenda necessariò hæc de Entis supernaturalis notione, utpote quæ maximam cum illâ habet connexionem, & utraque iisdem fermè nititur principiis. Quamvis ergo alibi eam ut plurimum tractari videam, ejus tamen discussionem nullo modo existimo differendam.

### SECTIO PRIMA.

#### Varie circa Entis supernaturalis conceptum sententiæ.

**I.**  AC de re copiosissimè P. Ripalda in Opere illò de Ente supernaturali, ubi eam accuratè discutit. Eandem quæstionem satis fusè disputat P. Arriaga hîc, Disp. tertiâ. Ego præfixæ mihi brevitatis memor, quàm paucissimis eam perstringere conabor.

**II.** Supernaturalitas non est connexio cum Deo ut in Personis Trino.  
Inprimis itaque, non in eo situs est conceptus supernaturalitatis, quòd res aliqua connexionem habeat cum Deo ut Trino, ut aliqui affirmant. Ratio est; multa namque sũt supernaturalia, quæ non connectuntur peculiariter cum Deo ut Trino. Primò enim in virtutibus infusis Justitiæ, Misericordiæ, Humilitatis, &c. nulla relacet hujusmodi connexio, quæ tamen secundùm omnes sũt supernaturales. Deinde actus fidei, quo quis sicut oportet, credit Deum esse Unum, qualem & nos frequenter elicimus, & Judei, dum apud eos esset vera Dei Ecclesia, passim exercebant, (paucissimis siquidem notum erat mysterium Trinitatis) erat supernaturalis. Tertio actus, quo hæreticus quispian affirmat vel negat Trinitatem, est naturalis, & tamen peculiarem habet cum hoc mysterio connexionem: ergo ratio naturalitatis & supernaturalitatis non rectè in eo statuitur, quòd quid peculiariter connectatur, vel non connectatur cum Deo ut Trino. Videatur P. Arriaga citatus sect. 2. subsecctione primâ, ubi hoc latius profæquitur.

**III.** Nec consistit in eo quòd superet res omnes creatas, & creabiles hisce similes.  
Aliâ viâ incedit P. Alarcon i. p. disp. 2. cap. 8. Ait itaque in hoc consistere rationem supernaturalitatis, quòd sit perfectio quædam intrinseca, res omnes quæ hæcenus creatæ sũt, & alias hisce similes excedens, iisque sit indebita. Unde, inquit, quamvis gratia habitualis, substantiæ alicui creabili esse possit debita, non tamen sequitur, eam non esse supernaturalem, cum naturis omnibus seu substantiis de factò creatis, & aliis iis similibus sit indebita, quod sufficere asserit, ut censerî possit supernaturalis.

**IV.** Sequitur, Angelum superiorem omnibus eventis esse supernaturalem.  
Sed contra: hinc enim sequitur, si Deus superioris ordinis Angelum ad eos, qui de factò sũt, crearet, eum fore supernaturalem; res enim omnes de factò creatas, & alias iis similes in perfectione excederet, in quo, secundùm hanc sententiam, situs est conceptus supernaturalitatis.

Dices, hujusmodi Angelum non fore supernaturalem: non enim posset elicere supernaturales operationes. Contra primò: Ergo in eò non consistit notio supernaturalitatis, quòd res aliqua in perfectione superet substantias de factò creatas, & alias iis similes. Contra secundò: Angelus namque iste, secundùm hunc procedendû modum, posset elicere actus supernaturales; posset enim operari proportionatè ad suam naturam, sicque operationes tantò aliarum substantiarum operationibus perfectiores elicere, quantò Angelus ille alios Angelos & substantias in perfectione excedit: si ergo substantia substantias omnes creatas, aliasque iis similes, in perfectione excedens sit supernaturalis, operationes quæ creatarum omnium substantiarum operationes superant, similiter erunt supernaturales. Quare juxta hanc sententiam, posset Angelus ille credere & amare Deum supernaturaliter, cum tantò perfectiùs amare eum posset præ reliquis Angelis, quantum eos superat in entitate.

Tertia hæc de re nonnullorum sententia est, illud esse supernaturale, quod est supra omnem naturam seu substantiam, quæ pro eodem passim à Philosophis usurpantur. Hanc sententiam fusè refert & impugnat P. Herice, i. p. d. 48. c. 2. n. 17. & sequentibus. Eam nihilominus non pauci sequuntur ex recentioribus, & acriter defendit P. Arriaga hîc, d. 3. sect. 1. & 3. plurimisque adductis fulsime circa eam discurrit.

**VII.** Deus est Ens supernaturale.  
Illud mihi in hac opinione primò displicet: Deus enim est Ens supernaturale; hæc siquidem appellatio dignitati ejus inprimis congruit, ejusque à substantiis omnibus creabilibus distantia & elevatior existendi modus per eam optimè declaratur: & tamen secundùm hos auctores esset ens naturale, cum sit substantia, & veram ac propriam habeat naturam; ergo non est supra omnem naturam & substantiam, ergo non est Ens supernaturale.

**VIII.** Impugnatur prior sententia ex communi sensu Theologorum.  
Secundò: quæstio à Theologis omnibus proponitur, darine possit substantia supernaturalis: in hac autem sententiâ, inanis planè, & in ipsis terminis implicans est hæc quæstio: perinde enim est, ac si quis quæreret, num dari possit substantia supra omnem substantiam: quis autem sanæ mentis hoc inquireret, cum luce clarius sit, nullam hujusmodi reperiri substantiam posse. Ulterior ergo supernaturalitatis notio indaganda.

**V.** Possit ille Angelus elicere operationes supernaturales.

**VI.** Tertia sententia ait, id esse supernaturale, quod est supra omnem naturam seu substantiam.

### SECTIO

SECTIO SECUNDA.

Vera ratio supernaturalitatis declaratur.

I. Supernaturalitas duplex.

NOTANDUM, supernaturalitatem duplicem esse, quoad substantiam, & quoad modum, seu simpliciter, & secundum quid. Prioris generis sunt gratia, lumen gloriae, visio beatifica, habitus infusi, &c. Posterioris vero rationis ea censentur, quae in entitate quidem sunt simpliciter naturalia, naturali tamen modo, & viribus quae in tota hac universitate rerum sunt, sine peculiari ope divina fieri nequeant, ut est restitutio visus & similia.

II. Proprius, & adequatus conceptus supernaturalitatis.

Dicendum itaque, conceptum supernaturalitatis quoad substantiam, in eo situm esse, quod Deus ut in se est, seu summum bonum nostrum, creaturae immediate communicetur. Quare Ens primario & antonomasticè naturale, est Deus, ut hoc modo communicabilis. Entia vero supernaturalia, per participationem sunt res illae, per quas Deus hoc modo immediate communicatur, & possidetur, nempe unio Hypostatica, per quam naturae alicui creatae physice conjungitur; & visio clara, per quam unitur intentionaliter. Tertio demum, supernaturalia sunt illa omnia, quae cum unione Hypostatica, aut visione beatifica peculiarem habent connexionem, vel antecedenter, ut gratia adjuvans & habitualis, actus etiam & habitus virtutum infusarum, utpote quae ad visionem disponunt, & amor beatificus, & alia quae eam subsequuntur, & ab illa tanquam à radice promanant: Ita P. Erice 1. p. disp. 48. c. 3. & Fasolus hic, q. 12. a. 4. n. 22. & ex recentioribus non pauci.

III. Ostenditur, supernaturalitatem consistere in conjunctione cum Deo.

Ratio est primò: nam, ut optimè P. Erice n. 36. Conceptus supernaturalitatis, ut ipsum nomè sonat, est quid in altiore & elevatiore gradu constitutum: sed nihil elevatius & perfectius concipi potest, quam ut creatura immediate conjungatur creatori, cumque perfectè possideat; hoc enim modo à communi sorte extrahitur, & in eximio quodam excellentiae statu collocatur. Confirmatur: ratio immediatae conjunctionis, & unionis cum Deo, perfectaque ejusdem possessionis constituit particulare quoddam genus entis, ab omnibus aliis distinctum, quodque rationem gratiae, ac doni indebiti in se contineat. Hinc Concilium Arausicanum secundum, & Tridentinum de Justificatione, Sess. 6. quae refert P. Erice citatus, speciale auxilium requirunt, ut quis actus vitae aeternae, seu visionis adeptioni proportionatos eliciat: quos proinde, eo quod ad visionem disponant, superioris & elevatiore esse ordinis affirmant ad opera naturae, quae huic muneri impar, ad tam praestantem operationum seriem perungere non potest.

IV. Possibile est substantia creaturae productiva effectuum supernaturalium quoad modum.

Dico tamen secundò, probabilius mihi videri, possibilem esse substantiam aliquam creatam cui naturaliter insit virtus productiva quorundam effectuum supernaturalium quoad modum; quae scilicet duo corpora inter se penetrat, calorem & frigus in gradibus repugnantibus, simul in eodem subjecto collocet, vacuum in rerum natura faciat, & similia. Ratio est; ad haec enim non videtur requiri virtus infinita, sed solum ut sit major virtus in agente, quam resistentia in rebus, circa quas operatur, corporum scilicet, ut in eodem loco, caloris & frigoris intensi, ut in eodem subjecto simul collocetur, &c.

V. Potentia in subjecto sub-

Queres, Utrum potentia passiva in subjecto, substantiae huius naturaliter effectuum huiusmodi supernaturalium productivae respondens, naturalis

fit, an supernaturalis? Respondetur, hoc non continere peculiarem difficultatem in praesenti, sed esse ab omnibus solvendum: saltem enim Deus collocare simul in eodem subjecto potest calorem & frigus in gradibus sibi naturaliter repugnantibus: quare itaque utrum potentia passiva, horum graduum (Deo eos simul in subjecto aliquo collocante) naturalis sit, an supernaturalis. Quicquid hic respondetur, respondebo & ego de agente creato eundem effectum naturaliter in subjecto illo producente. Dico ergo, rationem, & denominationem potentiae esse relativam, respectumque dicere, tum ad effectum productum, tum virtutem producentis: cum ergo hic, & effectus productus, & vis agendi in producente sit quid quoad modum naturale, idem dici potest de potentia passiva in subjecto: ut latius dixi Disp. 26. Physicorum, sect. 1. n. 4. 5. 6. & 7.

stantia effectuum huiusmodi supernaturalium operatrix, est supernaturalis secundum quid.

Hinc ulterius infero, magnam in substantiis huius effectuum secundum quid, seu quoad modum supernaturalium productivis, esse diversitatem, nec quae unum producere potest, necessario posse producere omnes; sed sicut in causis naturalibus summa est differentia, alia quippe calorem efficit, alia frigus, alia lucem, motum, &c. ita in causis huius, ut ita dicam, supernaturalibus, una unum effectum producere poterit, calorem ex. gr. & frigus in gradibus intensi in eodem subjecto collocare, alia duo quanta inter se penetrare, alia agere in distans, &c. Aliqui tamen sunt effectus quoad modum tantum naturales, qui nulli causae creatae competere possunt, ut creatio Angeli, vel etiam productio, aut conservatio accidentis, vel formae substantialis extra subjectum, ut ostendi Disp. 41. Phys. sect. sexta: idemque de aliis quibusdam effectibus quoad modum tantum supernaturalibus dicendum.

VI. In substantiis effectuum huiusmodi supernaturalium productivis est magna diversitas.

SECTIO TERTIA.

Solvuntur argumenta contra hunc modum explicandi Ens simpliciter naturale.

Obicit primò P. Arriaga, actus virtutum moralium infusarum esse naturales, & tamen non conjungunt creaturam rationalem cum Deo, ergo male per hanc conjunctionem explicatur conceptus supernaturalitatis. Respondetur, actus hosce virtutum infusarum mediate conjungere cum Deo, quatenus sunt dispositiones ad visionem beatificam, quae est immediata unio cum Deo, ut dictum est sect. precedente num. 2.

I. Actus virtutum infusarum significant ad visionem Dei.

Obicit secundò: Angelum & animam quoad suas entitates magis imitari proprium modum Dei, quam illum imitetur gratia, aut visio beatifica; Deus quippe, ut est in se, est intellectivus, ac volitivus, & in hoc peculiariter Dei essentia consistit: cum ergo haec duo praedicata in Angelo & anima reperiantur, non in gratia & visione, magis Deum imitabuntur, quam haec qualitates. Respondetur, non asseruisse me, gratiam & visionem esse naturales quod Deum imitentur, sed quod sint Dei possessio, altera formaliter, altera dispositivè, ut sect. precedente ostensum est; quod Angelo & animae secundum se spectatis, non competit.

II. Angelus per se Deum imitatur, sed non possidet.

Obicit tertio: Qualitates quasdam materiales, ut lucem, & colores in corporibus beatorum, esse naturales, sed haec nullam cum visione beatifica habent connexionem; male ergo in hac connexionem statuum conceptum supernaturalitatis. Respondetur primò, negando majorem; qualitates enim illae corporum

III. Accidentia in corporibus beatorum sunt supernaturalia.